Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



280

spiritu intelligentiae replebit illum. Et ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiae suae: et in oratione confitebitur domino. Et ipse diriget consilium eius et disciplinam et in abscondito suo consiliabitur: et ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae: et in lege testamenti domini gloriabitur. Collaudabitur in multis sapientiam eius: et usque in seculum non delebitur. Non recedet memoria eius et nominis eius requirentur a generatione in generationem sapientiae

Beatus homo qui inuenit sapiam et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auri primi et purissimi. Fructus eius pretiosior est thesauris opibus: et omnia quae desiderantur huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius: et in sinistra illius diuitiae et gloria. Viae eius viae pulchrae: et omnes semitae illius pacificae. Lignum vitae est his qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam beatus. Dominus sapientia fundauit terram: stabilivit caelum prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi et nubes roraverunt scientiam. Domino laudes sapientiae

Beatus vir qui in sapientia morabitur: et qui in iustitia meditabitur: et in sensu cogitabit de omnipotentia dei. Cibauit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potauit illum. Et firmabitur in illo: et non flectetur: et continebit illum et non confundetur et exaltabit illum apud proximos suos. Et in medio ecclesiae aperiet illum dominus et implevit illum dominus per

Vestimentum gloriae induit illum: et imposuit illum coronam gaudii. Coronabit illum corona aurea in signum sanctitatis. Operatio manuum eius illum in laboribus et complebit labores illius. Infirmando infirmabitur illum